

cum ab artificibus ita sint excogitatae & assumptae, hypothesium nomine veniunt.

Thesis IV.

Orbes.

Sunt autem Orbes illi nihil aliud, quam tractus seu spatia cœli rotunda ac per via, numero & ordine distincta, in quibus stellæ motu secundo cieri & circumagi statuuntur. Ubi non immerito excluduntur orbes in sensu nonnullorum veterum, qui eis compactam quandam tribuerunt soliditatem, ut stellas sibi inflixas commode circumducere possint.

Thesis V.

Orbes totales.

Suntque ex disp. i. th. 16. duplices: Totales & Partiales. Totales sunt integra universi spatia, quæ stellæ singulæ motu distinctæ seorsim & peculiariter occupant: ex quibus vulgo integrum mundi systema componitur. Partiales sunt particularia totalium spatiarum, in quibus motus singularium stellarum, omnesq; ejus apparentiae exaltè demonstrantur. Atque hi posteriores porro sunt in dupli differentiæ: quidam uniformes quidam biformes.

partiales.

Thesis VI.

Orbes uniformes.

Orbes uniformes sunt, qui aequalem eandemq; habent spissitudinem, seu quorum utraq; superficies tam convexa quam concava ex uno eodemq; centro est descripta.

Thesis VII.

Biformes.

Orbes biformes sunt, qui diversam, ac inaequalem habent spissitudinem, seu quorum superficies non ex uno & eodem sed diversis centris descriptæ sunt.

Thesis VIII.

Orbes

Majores.

Orbes porro dividuntur in majores & minores. Majores sunt per quos motus stellarum demonstratur aequalis & regularis. Suntque vel absolute tales, Terram ambientes, ut orbis stellarum fixarum, trium superiorum planetarum, Solis item & Lunæ; vel respectivè, Terram non ambientes, ut orbis Veneris & Mercurij.

Minores.

Minores sunt, per quos motus stellarum ostenditur inaqualis & irregularis. Suntque non unius generis. Alii enim super aliis

Thesis IX.